

De Constitutivo Essentiæ divinæ. 63

tione prædicati; quatenus constituunt prædicatum illud in Deo, a quo cætera prædicata inferuntur. Nec necessaria est prioritas temporis ad constituendum prædicatum essentiæ, sed satis est prioritas dignitatis, & eminentiæ.

Ad VI. Si quærimus constitutivum metaphysicum essentiæ divinæ, absque dubio loquimur de Deo metaphysice, non physice, considerato. Physice quidem constituunt Deum perfectiones omnes, quæ sunt in Deo; ex his omnibus abstrahitur omnimo-

da ratio perfectissimi, & hæc metaphysice constituit Deum. Non enim hæc ratio perfectissimi plena absoluta in omni genere, &c. est quid chimæricum, quod ab intellectu fingatur, adeoque cum Deo physico, & reali non conformetur. Est quidem quid metaphysicum, quod fundamentum habet in Deo physico, & reali, scilicet omnes perfectiones, quæ in eo sunt; & ex his omnibus abstrahitur, & præscinditur, ut Deum constitut logice, & metaphysice, non autem chimærice.

DISSERTATIO XI.

De Constitutivo Divinæ Naturæ.

Distinctionem Theologi faciunt inter divinam essentiam, & divinam naturam in hoc, quod naturæ nomine intelligunt constitutivum virtuale, seu essentiæ virtualiter acceptram, per quod natura divina ab omni alio, quod non est ipsa, virtualiter distinguitur. Pro essentia vero intelligunt prædicatum illud, quod est primum in Deo, cæterorum respectu, quæ in Deo etiam reperiuntur, & per quod ab omni, quod non est Deus, distinguitur, vel metaphysice, vel etiam realiter. Vel clarius explicant, dicendo, quod nomine essentiæ veniat esse, nomine naturæ veniat operari. Et ad hoc probandum afferunt S Thomam, qui 1. par. qu. 39. ar. 2. ad 3. ait: *Essentia ab effendo dicitur... Naturæ designat principium operandi.* Et quamvis Sancti Patres passim sumant essentiam pro natura, & naturam pro essentia, & utroque nomine sine distinctione uantur; S. Augustinus tamen distinctionis hujuscemodi inuit aliquatenus doctrinam, dum lib. 5. de Trinit. c. 2. scribit; *sicut ab eo, quod est sapere, dicta est sapientia; ab eo, quod est sciare, dicta est scientia; ita ab eo, quod est esse, dicta est essentia.* Et pro hac distinctione inter essentiam, & naturam divinam, quam rationis ratiocinare, cum fundamento scilicet, non rationis ratiocinantis, hoc est absque fundamento, vult esse Cacheranus, stante fere omnes Theologi; & præcipue idemmet Cacheranus trac. 1. de Deo uno c. 2. §. 1. post Lugum lib. 1. disp. 16. c. 5. Cornejum 1. par. qu. 14. contra Salmat. in eundem articulum disp. 4. dub. 1. §. 2. Gabrielem a S. Vincentio 1. par. disp. 14. dub. 9.

Attamen noster P. Saguens t. 1. disp. 2. ar. 3. contra hunc communem intelligendi modum scriptis hæc, quæ sequuntur: „Nostri tandem secundo, nullum habituram esse locum in assertione sequente subtilitatem illam nimiam, qua nonnulli Theologi Divinitatem considerant aliter in ratione naturæ, & aliter in ratione essentiæ: Unde illi uno, alteroque modo considerare unum, alterumque assignant constitutivum; ajentes, Divinitatem in ratione essentiæ acceptam, constitui per notionem entis a se; ac tum in ratione naturæ sumptam, esse per divinissimum quoddam intelligentem constitutam. Duplicem vero rationem illam fundant in distinctione nec scio qua virtuali inter essentiam divinam, & naturam divinam. Ne itaque, quod superfluum foret, hinc, & inde virtualis illa præsumpta ventiletur distinctio; satis est, si monetur, nolle nos in subtilitate illius perquisitionem hinc ingredi; & ideo velle, quæ dicenda sunt, esse de natura divina, esse & de essentiâ divina, pariter intellecta.“

Ante P. Saguens fuit Stephanus Spinula, qui utriusque constitutivi, essentiæ scilicet, & naturæ divinæ, non admisit distinctionem. Attamen P. Saguens nullis rationibus hoc suum peculiare judicium probare curavit, hoc solo contentus, quod ipsum dixerit subtile nimium Theologorum cogitatum. Cacheranus vero communem distinctionem tribus rationibus probat, quas hic afferre intendimus, antequam divinæ naturæ constitutivum exprimamus, atque probemus. Prima Cacherani ratio est hæc. Conceptus essentiæ est prior conceptu naturæ, etiam in Deo: ergo conceptus essentiæ